

bona sit, quia illa entitas respicit objectum tanquam terminum suae habitudinis, et specificationis: ita idem actus secundum totam intensionem suam, quae nihil aliud est, quam quaedam integritas entitatis ejus, et est in se magis bonus per illam entitatem, quam per intensionem acquirit, et tamen totam bonitatem habet ex objecto, quia etiam terminus habitudinis, quam totus ille actus secundum totam entitatem, et omnes gradus habet, est idem objectum: licet enim non requirat in actu tantam, vel tantam intensionem, tamen secundum totam honestatem suam diligibile est tota illa intensione: et ita ex honestate illa objectiva sumitur honestas formalis in tota illa intensione.

11. Sed quæres, utrum actus ex objecto bonus, possit fieri malus ex intensione actus, nam si hoc fieri potest, falsum erit intensionem, ut sic, per se conferre ad honestatem. Videtur autem id accidere posse, quia sicut in aliis circumstantiis virtus consistit in mediocritate, ita etiam in intensione: ergo ex nimia intensione potest actus fieri malus, etiamsi cætera non mutantur, ut si proximus tanta intensione diligatur, sicut Deus: et ratio esse potest, quia sicut unum objectum est melius alio, ita secundum rectam rationem videtur majori intensione appetendum, quam aliud: ergo si minimum bonum maxima intensione ametur, erit actus inordinatus. Unde de ipsa justitia dicit Scriptura, Eccles. 7, 17: *Noli esse justus multum.*

12. Respondetur non posse actum privari bonitate, quam habet ex objecto propter intensionem tantum: imo fieri non posse, quin ex eo capite bonitas semper augeatur. Quia ratio facta, nu. 9, formaliter et universaliter concludit: necesse est enim intensionem actus tendere in idem objectum formale, a quo solo pendet hæc bonitas. Item quia quodlibet bonum honestum, ut sic, secundum rectam rationem diligere potest toto conatu, quem voluntas adhibere potest, quia totus ille est proportionatus tali objecto, et ex natura rei, non est prohibitus, nec per se loquendo impedit aliquid bonum debitum rationali naturæ. Unde in exemplo posito, diligere proximum tanta intensione, sicut Deum, non est malum: imo habitus charitatis de se est æque intensus respectu utriusque, et de se inclinatur ad eliciendum omnem actum secundum omnem latitudinem et efficaciam suam: minori ergo bono non debetur minor intensio actus, sed actus minus nobilis secundum substantiam: sicut

in naturalibus nobiliori formæ non semper debetur dispositio magis intensa: sed solum melior dispositio in specie, vel alia ratione, licet in intensione possit esse æqualis. Dixi autem actum non amittere bonitatem, quam habet ex objecto propter intensionem, nam aliud est inquirere, an ex accidenti possit illi conjungi aliqua malitia occasione intensionis; ut si ex nimio affectu ad actum non præceptum, etiam bonum omittat præceptum: sed hoc etiam habere potest locum in actu remisso in substantia ipsius actus, de quo dicemus postea.

13. Sed adhuc quæret aliquis an eadem proportionem augeatur bonitas actus, qua augetur gradus intensionis, ita ut actus, ut quatuor, æquivalet quatuor gradibus, ut unum. Respondetur comparisonem fieri posse vel physice, et in genere entis, vel in ordine ad effectus morales, ut sunt meritum, etc. Priori modo pendet comparatio ex questionibus physicis: utrum gradus intensionis sint omnino ejusdem rationis, et æqualis latitudinis, et quomodo in eis sumenda sit: quæ non sunt nobis disputandæ: videantur dicta in *Metaphysica*. Solum est illa regula servanda, ita esse loquendum de bonitate sicut de entitate, et ad minimum videtur certum, actum duplo intensiorem æquivalere imperfectione duobus actibus remissis æqualibus: superare etiam in physica efficacia in ordine ad habitum, quia intendit illum, quod non possunt facere actus remissi, si jam habitus sit intensus usque ad latitudinem uniuscujusque. Probabile etiam est actum intensiorem excedere in perfectione individuali suæ entitatis secundum illos gradus, in quibus superat actus remissiores: et propterea non possunt actus remissi, licet in infinitum multiplicentur, ad illam perfectionem et bonitatem attingere.

14. At vero juxta secundam comparisonem moralem dicendum est, secundum variam estimationem et considerationem posse unum actum intensum aliquando superare plures remissos, interdum vero plures remissos superare intensum. Nam si in uno solo actu intensus tot sint gradus bonitatis intensivæ, quot sunt extensivæ in multis actibus, videtur valde probabile illum unum actum pluris valere moraliter, quam omnes alios simul sumptos, quia in numero ponitur æqualitas: et aliqui probabile est gradus intensionis habere majorem quamdam perfectionem individualement: et præterea ipse actus intensus majorem difficultatem moralem habet in quantum fit per modum

unius majoris impetus: unde etiam aptior est ad perficiendam voluntatem. Nihilominus tanta potest esse multitudo remissorum actuum, ut moraliter excedat unum intensum: nam in ordine ad morales effectus multitudo multum confert: imo interdum fieri potest, ut actus plures imperfectiores in bonitate specifica superent in merito, et in valore actum essentialiter perfectiorem, sicut e contrario fieri potest, ut furtum in magna quantitate sit majus peccatum quoad demeritum, quam unum homicidium, licet quoad essentialem malitiam sit semper inferioris speciei: ergo multo magis poterit intensio multitudine actuum compensari, præsertim quia in ipsa multiplicatione actuum est quædam moralis difficultas ad perseverantiam pertinens, quæ potest augere estimationem moralem: sic enim facilius est uno momento superare gravem tentationem, quam frequenter, et continue vincere plures leviores. Non igitur potest generalis regula tradi, sed omnia pensanda sunt, nam ex utroque capite potest esse excessus.

15. *Secunda assertio.* — Secundo dicendum est, ut actus voluntatis augeatur ex intensione, non esse necessarium, ut ipsa intensio sit voluntaria per modum objecti, sed satis esse quod sit voluntaria per modum actus. Probat, nam imprimis, ut voluntas intensius et remissius operetur, non oportet ut intellectus directe cogitet de intentione, quin potius stante eadem omnino directa cognitione objecti potest voluntas intentius et remissius operari, ut videtur ipsa experientia notum, et ratione, quia scilicet proposito objecto voluntas est libera ad operandum, et non operandum: ergo etiam est libera ad intensius et remissius operandum, quia hæc ejusdem rationis sunt. Item quia si voluntas potest operari circa objectum, sic præcise propositum directe absque reflexione supra intensionem actus: ergo aliquid determinate potest operari: ergo cum aliqua intensione, quia non potest actus fieri sine aliqua intensione; ergo cum majori, vel minori intra latitudinem efficacitatis ipsius, quia non est major ratio de una intensione, quam de alia. Tandem actus voluntatis semper in re habet determinatam intensionem, quam non potest determinare intellectus, quia non cognoscit quanta sit in re, ergo gradus intensionis non determinatur in actu voluntatis: potest ergo esse intensio major, vel minor in actu voluntatis, quamvis non sit directe objective voluntaria, sed tunc augebit bonitatem actus: ergo, ut hæc cir-

cumstantia augeat, non est necessarium *directe voluntarium* per modum objecti, sed solum per modum actus. Probat minor, quia in illo actu aucta est entitas voluntaria, et libera in ordine ad idem objectum honestum, ergo aucta est bonitas, juxta dicta in præcedente conclusione. Secundo est evidens ratio, quia, ut actus voluntatis absolute, et quoad substantiam sit bonus ex objecto, non est necesse, ut sit voluntarius per modum objecti propositi reflexe, ut per se est evidens, aliqui et procedendum esset in infinitum, et actus interior non esset per se bonus, sed tantum per denominationem ab alio, sicut exterior, quod supra ostensum est esse impossibile: ergo idem dicendum est de tota intensione actus. Probat consequentia, quia intensio non est distincta a substantia, et entitate actus, sed est quaedam integritas illius: unde in actu intensus non potest assignari aliquid quod per se sit voluntarium, et aliquid quod sit voluntarium per aliud, sed unusquisque gradus per se est voluntarius, et quælibet pars, imo quodlibet indivisibile eujuscumque gradus, quia eadem est ratio de omnibus, quia omnia sunt a voluntate per modum actus eliciti totaliter, aut partialiter: unde intelligi non potest quod substantia actus sit bona hoc ipso quod est voluntaria per modum actus, quin tota intensio sit eodem modo bona cum eodem *voluntario*.

16. Et hinc primo colligitur facile differentia inter hanc circumstantiam et supra tractatas. Nam aliæ non conferunt ad bonitatem per se ipsas dando actui entitatem, sed solum, ut terminantes habitudinem actus ad ipsas: et ideo necesse est, ut sint voluntariæ per modum objecti. At vero intensio dat actui ipsam entitatem, per quam voluntas tendit in objectum voluntarie, et tantum esse debet eo modo voluntaria, quo ipse actus. Hinc secundo facile solvitur ratio dubitandi quantum ad hoc spectat: nam præter *voluntarium directum*, et indirectum objective, quod in illa ratione proponitur, datur voluntarium per modum actus, quod reducitur ad voluntarium directum: et virtualiter reflexum: reperiturque in solo actu elicitio a voluntate, ut supra dictum est: et consequenter in tota intensione ejus, quia tota est a voluntate elicitio. Ad hoc autem voluntarium non est necessaria directa cognitio ipsius actus, vel intensionis ejus in se ipso, sed sufficit practica cognitio objecti per modum diligibilis. Et hæc pars confirmari etiam potest rationibus factis in priori parte, præsertim

illa, quod intensio actus tantum præcise auget bonitatem, quantum ipsa in re est, et tamen sæpe ab operante non cognoscitur præcise quanta sit: et consequenter nec directe intenditur per modum objecti: non est ergo hoc necessarium, neque ullum theologorum invenio, qui contrarium, docuerit, nec rationem probabilem, quæ id suadeat.

17. *Tertia assertio.*—Dicendum tertio. Circumstantia *quomodo*, quæ consistit in morali modo operandi libere, et modo humano, non auget physice et intrinsece bonitatem actus, sed potest augere morales proprietates ejus in ordine ad operandum, scilicet, ut illi tribuatur ad majorem laudem, vel meritum. Utrumque facile est ex principiis positis. Primum quia actus omnino idem quoad entitatem, et habitudinem ad objectum potest magis, vel minus libere exerceri absque sui mutatione, solum ex majori advertentia rationis: vel quia procedit ex majori vel minori antecedente inclinatione: ergo hic modus operandi non variat intrinsece bonitatem actus; nam hæc consistit in ipsa habitudine actus ad suum objectum. Unde dicebamus supra eundem actum charitatis, qui prius libere fiebat, si postea necessario continetur, retinere eandem bonitatem, licet non retineat eandem moralitatem: ergo multo magis potest actus fieri magis, vel minus libere cum eadem intrinseca bonitate, sicut habitus virtutis æque intensus æque bonus est, sive sit libere acquisitus, sive omnino ab extrinseco datus. Secunda autem pars constat, quia ad meritum, vel laudem, aut similes proprietates non tantum confert bonitas actus, sed etiam libertas: quia hæc proprietates cum sint morales, non consequuntur actum tantum, ut est quoddam ens, sed etiam ut actus moralis est: ergo aucta moralitate actus, possunt et ipsæ augeri. Item quia aliud est actum esse bonum, aliud vero attribui operanti: nam illud provenit ex objecto, et habitudine ad illud: hoc vero ex modo operandi, qui includat libertatem. Potest autem idem actus magis, vel minus attribui operanti ad laudem, et meritum ex diverso modo, quamvis intrinseca habitudo ad objectum eadem sit: præsertim, quia etiam ille modus operandi pertinet ad perfectionem hominis et operationem ejus, quatenus humana est.

18. Dices: ergo divina gratia diminuit meritum vel laudem operationis, quia inclinando voluntatem minuit libertatem ejus: unde tanto magis minuit, quanto vehementior fuerit gratiæ excitatio: unde fiet opera Christi Do-

mini esse ex hoc capite minori laude digna, quia esto fuerint libera, saltem fuerint minus libera, cum ejus voluntas esset ad bonum determinata. Respondetur, ad priorem partem simpliciter negando sequelam, quia, ut supra indicavi agendo de voluntario, gratia ita inclinatur voluntatem, ut illuminet intellectum, et quoniam ex utroque capite pendet libertas, potest magis ex cognitione et illuminatione augeri, quam ex inclinatione minuatur. Accedit quod licet ex eo capite aliquo modo minuatur indifferentia, augetur tamen perfectio operis. Et idem majori ratione dicendum est in Christo, quamvis negari non possit, quin aliquo ex capite, et secundum quid diminuantur proprietates morales ex hac parte: nam in Christo Domino non habuit locum laus illa Eccles. 31: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus*: et in quocumque opere gratiæ minus habet homo, quod sibi attribuat juxta id 1 Corinth. 4, 4: *Quid gloriaris, quasi non acceperis?* et illud: *Non ego, sed gratia Dei mecum.*

19. *Quarta assertio.*—*Probatur ex parte intellectus.*—Ultimo dicendum est ad hujusmodi augmentum non esse necessarium *voluntarium indirectum* per modum objecti, sed sufficere per modum actus. Declaratur et probatur, quia hic modus operandi ex duobus pendet, ex perfecta advertentia intellectus et facultate voluntatis. Ad primum nullum voluntarium requiritur: nam si intellectus plene advertat, etiam si advertentia sit prorsus naturalis, et antecedens prorsus *voluntarium*, potest ex illa oriri actus perfecte liber et voluntarius. Atque ita contingit in operibus gratiæ, quando intellectus prævenit et illuminatur ante omnem concursum voluntarium: atque idem potest accidere in operibus naturæ: ratio autem est, quia advertentia intellectus non est principium libertatis voluntatis, eo quod ipsamet advertentia sit libera, vel voluntaria: nam actus intellectus natura sua antecedit actum voluntatis, cum tamen liber esse non possit, nisi per denominationem, a voluntate. Neque etiam confert advertentia ad libertatem, vel bonitatem actus voluntatis tanquam forma intrinseca efficiens ipsum, neque tanquam terminus, seu objectum ad quod tendat directe actus voluntatis, sed solum tanquam applicans objectum, et ostendens quid bonitatis, vel malitiæ in illo sit: ad hoc autem munus nihil refert quod ipsa advertentia sit voluntaria, sed solum quod in suo genere sit perfecta, id est, quod perfecte manifestet objectum secundum

omnes rationes, quæ possunt voluntatem inclinare, aut retrahere.

20. *Probatur etiam ex parte voluntatis.*—Alterum principium erat facultas voluntatis, in qua etiam est influxus positivus, in quo consistit ratio *voluntarii*, de quo jam dictum est per se esse voluntarium, et hoc sufficere: nam hic influxus, seu conatus in re coincidit cum intensione. Est præterea indifferentia voluntatis, quæ consummatur per potestatem non operandi, a qua actus denominatur *liber*: et de hac constat non oportere, quod sit objective voluntaria, ut actus denominetur *liber*, ut inde habeat laudem et meritum: ergo nec etiam ut sit magis liber, et magis laudabilis, est necessarium hujusmodi voluntarium, sed sufficit, quod in re ipsa hæc potestas, seu indifferentia voluntatis sit major, et quod cum illa sic existente se applicet ad volendum. Consequentia patet a paritate rationis, et ex omnibus dictis de intensione, quæ hic applicari possunt. Antecedens constat, quia alias procedendum esset in finitum, vel sistendum esset in aliquo actu necessario, a quo non possunt subsequentes actus habere, quod liberi sint. Probatur, quia si ad libertatem, et laudem actus necesse est, quod ipsa libertas sit objective proposita, et directe volita, quæro de illo actu, quo volita est, utrum sit liber, nec ne? Si non est liber, erit necessarius: ergo actus volitus, seu imperatus ab illo, non poterit ex eo capite esse liber: si autem est liber, peto ulterius utrum ejus libertas? si hoc affirmetur, iterum rogabo de illo, et procedetur in infinitum. Si autem negetur, concludimus ad actum liberum non esse necessarium libertatem esse objective et directe volitam, et ita sistendum erit in primo actu libero: ratio autem a priori sumenda est ex dictis supra de libertate, nam hæc denominatio non sumitur ab intrinseca entitate actus sola, neque ex habitudine ad objectum, sed a potentia, quæ ita voluntarie se determinat, ut possit suspendere suum influxum: et ideo ipsa intrinseca ratio *voluntarii* cum potestate voluntatis sufficit ad hunc modum operandi, et proprietates morales, quæ ex illo resultant, ut a fortiori constat in malis actionibus.

*Resolutio quoad circumstantiam Quando.*

21. *Prima assertio.*—Tertio loco dicendum est de circumstantia *Quando* quoad durationem intrinsecam. De qua dicendum primo ex hac circumstantia non augeri intrinsecam, et realem bonitatem actus voluntatis. Probatur,

quia dictum est hanc bonitatem nihil aliud esse, quam entitatem actus tendentis ad tale objectum: sed hæc entitas non augetur, nec variatur ex vi hujus durationis: suppono enim hujusmodi actum esse entitatem permanentem, quæ tota simul potest incipere et durare: nam in his rebus duratio etiam est permanens, et indivisibilis, id est, carens successione: ergo ex vi illius non potest fieri augmentum intrinsecum, et reale in bonitate actus: nam hoc intelligi non potest sine successione et mutatione aliqua in ipsa entitate actus. Dices, in hac duratione posse augeri, vel minui entitatem actus, si potentia magis, vel minus conetur. Respondetur illud augmentum non pertinere ad circumstantiam durationis, sed intensionis: hic autem loquimur præcise ex vi durationis ejus, quod incipit esse, et idem permanet: nam si aliquid ei addatur, illud ut sic, non dicitur proprie durare, seu permanere, sed superaddi, quamvis illud postea durare possit: et tunc de illo erit eadem ratio.

22. *Secunda assertio.*—Dicendum secundo hanc durationem, si modo nostro intelligendi, super coexistentiam ad nostrum tempus major sit, nonnihil conferre ad dignitatem, vel proprietates morales, quatenus illam bonitas actus tribuitur operanti ad majorem laudem, vel meritum, quo plus illam conservat, et in ea durat. Declaratur, nam duratio rei metaphysice et realiter considerata, simul cum re incipit, nam vel est existentia ejus, vel cum illa necessario proportionaliter conjuncta: si ergo consideretur actus voluntatis prout in primo instanti factus, in illo habet totam durationem suam, et sic nihil addit moraliter duratio illi actui, quidquid sit de physica, seu metaphysica distinctione, quia est omnino necessario conjuncta cum illo: potest autem ulterius considerari, ut perseverans, seu coexistens alicui tempori necessario, et ut sic, dicitur augere moralitatem, et æstimationem actus. Quod videtur manifestum ex communi consensu sapientium: quia melius esse putant longiori tempore in eodem actu amoris Dei, vel orationis durare, quam brevi: eadem autem ratio est de comparatione temporis ad instans. Item, quamvis Deus rem conservando, in ea nihil novum efficiat, præter id, quod fecerat producendo, sed solum in eadem actione perseveret: nihilominus majus est beneficium conservationis, quam productionis, ut per se videtur novum: ergo similiter, licet voluntas conservando suum actum nihil efficiat novum, præter id, quod fecerat producendo, nihilomi-

nus id est majus Dei obsequium, moraliter loquendo; ratio vero a priori est, quia licet in illa perseverantia non fiat res nova, et tamen continuum quoddam exercitium libertatis, ratione cujus ille actus magis ac magis tribuitur operanti, in quo est quaedam moralis distinctio, et successio in hoc quod semper potest voluntas suspendere actum, quem conservat: et ideo in hoc meretur majorem laudem.

23. *Nominalium objectio.* — Sed contra conclusionem hanc et ultimam rationem insurgunt Nominales, dicentes actum libere a voluntate elicium pro aliquo tempore non libere, sed necessario conservari, et ideo pro illo tempore nec physice, nec moraliter augeri bonitatem actus: transacto vero illo tempore quod vocatur *continuatio necessaria*, si ulterius conservetur, jam id libere fieri, et inde moraliter augeri. Quod argumentum fuit ab illis inventum ad vitandum commune sophisma de infinito augmento meriti, vel demeriti, de quo postea. Ita Gregorius, in 2, dist. 3, quaest. 1, art. 2, ad 4, late Almainus, quaest. de libero Voluntario, art. 7, 2 opinione, argum. 3, idem indicat, tract. 2, Moralium, cap. 9.

24. *Quo sensu dicta objectio admitti possit.* — Hæc vero opinio duobus modis potest intelligi. Primo quod illa necessaria continuatio intelligatur per determinatum tempus: et hoc quidem sensu, quidquid aliqui dicant, nullum habet in theologia errorem, quia etiam si illa opinio admittatur, nihilominus fatendum est, post primum instans merendi vel peccandi, in quolibet instanti signato posse hominem desistere a peccando, et poenitere, etc., quia ante quodlibet instans signatum potest voluntas desistere ab illo actu: quia post tempus indeterminatum potest voluntas desistere ab illo actu, quia tempus indeterminatum non potest claudi inter duo instantia signabilia. Et in hoc sensu habet in philosophia aliquod fundamentum hæc opinio, scilicet, quod res permanens non potest in eodem instanti desinere, in quo incipit, et in aliquo actu id videtur necessario admittendum, scilicet, quando actus voluntatis incipit esse coexistendo tempori, et non instanti nostri temporis: absolute tamen id non est necessarium propter rationes quas statim insinuabo. Neque repugnat rem permanentem uno solo instanti nostri temporis durare, quod sit, et primum, et ultimum sui esse; nam ista duo non involvunt repugnantiam, neque ille modus desinendi repugnat rei permanenti. Neque est cur Deus, verbi gratia, necessitetur ad conservandam rem aliquo tempore, quam

in instanti produxit: verum licet in hoc sensu admitteretur hæc opinio, negandum non esset, quin in quodlibet instanti signato moraliter augeatur actus quando quidem libere conservatur: et ita nihil fere deserviet ad vitandam difficultatem, quam solvere cupiunt.

25. *Alter sensus objectionis.* — *Nominalium impugnatur multipliciter.* — Alio ergo modo intelligi potest de mora temporis certa et determinata. Quo sensu multis videtur erronea hæc opinio, nam ex illa sequitur, esse signabile aliquod tempus, vel minimum, in quo non possit homo poenitere, sed sit obstinatus in malo, et consequenter si illud sit ultimum tempus vitæ, sequitur pro aliquo tempore dum adhuc vivit esse extra statum salutis. Præterea videtur hæc opinio contra Aristotelem 3. Ethic., cap. 5, dicentem: Actuum nostrorum a principio usque ad finem domini sumus. Præterea est contra rationem, ut dicam, nec deservit ad solvendam difficultatem, quia licet demus esse aliquam morulam necessariæ continuationis, in qua actus moralis non crescat: si vero post illam conservetur, jam crescit, et tunc si duret per aliud breve tempus, in illo erit infinita instantia: et redibit eadem difficultas de augmento infinito in illis instantibus. Respondere possunt, ut significat Almainus, hanc necessariam continuitatem non solum esse in prima morula, sed etiam in secunda, ita ut si post primam finitam incipiat ulterius conservari debeat: et sic de tertia, et reliquis. Sed hoc frivolum est, et improbable, quia cum sequentes morulæ non sint divisæ a prima cum qua continuantur, nulla potest probabilis ratio reddi illius continuationis necessariæ: sicut in philosophia dicitur, quamvis res naturalis terminetur ad minimum per se existens, non tamen inexistentis: et ideo non est necesse, ut id quod additur minimo, sit illi æquale: sic autem esset in præsentia. Ratio vero a priori est, quia nihil est quod necessitet voluntatem ad talem continuationem: nam si in instanti, in quo dicitur finita prima morula, potuit voluntas relinquere actum: ergo multo magis poterit in quolibet instanti, post illud: nam suppono advertentiam intellectus esse eandem, et objectum idem: quid est ergo quod inferat necessitatem? Quæ ratio etiam probat de quocumque minimo tempore, vel instante.

26. *Tertia assertio.* — Tertio et ultimo dicendum, ad hoc augmentum non esse necessarium durationem actus esse objective, et directe volitam, sed sufficere *voluntarium* per modum actus exerciti. Hoc probandum est eo-

dem fere discursu, quem de intentione fecimus, nam imprimis per se notum videtur, ut voluntas libere duret in actu, non esse necessarium intellectum cogitare de ipsa duratione, eamque proponere, ut objectum in se volendum, quod satis constat experientia: et ratio est, quia sicut homo libere ejicit actum non cogitando de libertate, nec de actu ipso, ut objecto volendo, ita etiam potest libere conservare sine illis reflexionibus. Item quia ille actus quamdiu est, voluntarius est, quia intrinsece, et per se ipsum voluntarius est, et est a potentia, quæ ita illum conservat, ut possit non conservare: ergo etiam est liber quoad conservationem suam: quia hæc libertas non consistit in denominatione ab illo actu, sed ab ipsa potentia: potest ergo actus magis, ac magis libere durare absque eo, quod duratio sit objective voluntaria.

27. Quod autem hoc sit satis ad morale augmentum actus patet, quia genus *voluntarii* sufficit ad primam, et quasi substantialem moralitatem actus; ergo etiam sufficit ad morale augmentum ejus. Item hoc probant rationes factæ in secunda conclusione: perseverantia enim in bono actu non censetur augere laudabilitatem operantis propter alium actum distinctum, quo ipsa perseverantia sit volita, sed propter conservationem voluntariam, et liberam ejusdem operis: sicut dicebamus etiam de beneficio conservationis. Quod patet primo, quia duratio hæc tantum in re ipsa auget bonitatem, quantum ipsa est in re, cum tamen non semper exacte cognoscatur: et consequenter neque objective ametur, quantum revera est, sed aliquanto magis, vel minus. Deinde, quia si solum conferret ad morales effectus quatenus voluntaria per alium actum distinctum: ergo non per se et intrinsece, sed solum per extrinsecam denominationem ab alio actu haberet hanc moralitatem, sicut de actu exteriori dicitur: quia ita unusquisque actus est laudabilis, sicut est voluntarius, et liber: hinc ergo fieret ipsam durationem per se nihil addere, sed aliam voluntatem durandi: quæ voluntas simul in uno instanti habebit totam laudabilitatem ex objecto suo, quod ponitur esse duratio alterius actus: unde si habet aliquis voluntatem amandi Deum per horam, et amare incipiat, non magis merebitur, neque operabitur in tota hora, quam in principio. Patet, quia prior voluntas amandi Deum per horam, simul habet totam laudabilitatem suam, neque crescit per durationem, quia illa non est voluntaria per alium actum, alias pro-

cederetur in infinitum. Rursus neque amor ipse Dei crescit per durationem, quia solum dicitur crescere per denominationem extrinsecam ab alio actu, qui semper est idem physice et moraliter: ergo nullius actus duratio confert ad bonitatem et meritum cujus contrarium supponebatur. Præterea ut multitudo actuum augeat morales effectus, non oportet, ut ipsa multitudo sit directe volita, sed ut in actu exercito sit libera et voluntaria per modum actus: ergo quoad hoc eadem est ratio de duratione. Atque idem argumentum potest sumi ex intensione, nam sicut intensio est de intrinseca entitate actus, qui per se ipsum voluntarie, ac libere fit, et intenditur, ita et duratio est ipsa intrinseca entitas actus, quæ per se ipsam libere, et voluntarie conservatur: et hinc sumitur ratio differentie inter hanc circumstantiam, et alias, quas vocamus *objectivas*, nam hæc non pertinet ad actum extrinsece, ut terminus alicujus habitudinis: sed est ipsamet entitas actus magis ac magis durans; et ideo non auget per modum objecti voliti per alium actum, sed per modum actus per seipsum voluntarii.

28. *Communis objectio contra proxime dicta.* — Sed occurrit commune argumentum, quia hinc videtur sequi infinitum augmentum in hac bonitate, seu merito actus, quia actus liber in primo instante quo fit, habet aliquam bonitatem et meritum certæ quantitatis: sed non habet minorem in eodem instanti, in quo conservatur. Patet, quia est idem actus, eadem actio, eadem advertentia, et libertas: ergo erit æqualitas in morali effectu: ergo si hic effectus per infinita instantia multiplicetur, erit augmentum simpliciter infinitum, quia constabit ex infinitis partibus æqualibus. Neque quoad hoc est similis ratio de augmento, quod fit in motu physico per singula instantia, quia ibi nulla quantitas effectus respondet uni instanti: hic autem in primo instante fit aliquis effectus alicujus quantitatis, et videtur idem fieri in quolibet instante conservativo: quia nulla est resistentia, aut alia conditio, unde minuatur.

29. *Ut a quibusdam evadatur.* — Propter hanc difficultatem negant aliqui præcedentem conclusionem, et putant requiri ad hoc augmentum, ut duratio actionis sit directe cognita, et voluntaria. Et nunc respondent non esse infinitum augmentum, quia illa duratio non distincte, sed confuse cognoscitur per modum unius, et eodem modo est voluntaria. Sed hic modus dicendi imprimis dicit aliquid per se